

## “Nearer My God to Thee.”

1. Propius, O Deus mi, propius ad Te,  
Etiam si crux erit quae tollat me :  
Canam continue—  
Mi Deus, prope Te ;  
Propius, O Deus mi, propius ad Te.
  
2. Erroni noctu quamvis similis,  
Quiescam super stratum lapidis,—  
Delectat esse me  
In somnis prope Te ;  
Propius, O Deus mi, propius ad Te.
  
3. Ut scalae tunc ad coelos via sit ;  
Quaecunque mihi des, clementia fit :  
Sunto coelicolae ;  
Nutantes vocent me,  
Propius, O Deus mi, propius ad Te.
  
4. Tum experrecta laude fulget mens ,  
Petrosis malis “Bethel” extruens :  
Sic moeror urget me,  
Mi Deus, prope Te,  
Propius, O Deus mi, propius ad Te.
  
5. Si laetis pennis findens aëra.  
Relictis stellis, petam supera—  
Quam jucundissime,  
Cantabo—Prope Te,  
Propius, O Deus mi, propius ad Te.